

reperitur de Diacono, dicunt errorem incēpisse a Burcardo, quem secuti sunt Gratianus, et Collector Decretalium. Siquidem Burcardus secutus codicem Reginonis Prumiensis, in quo vox *Deo*, vel *Domino* breviata exhibebatur, ceu solebat in Codicibus fieri, illud *Deo* vel *Domino* legit pro *Diacono*.

5. Ceterum sumpto etiam Canone prout inest in corpore juris, difficultas contra Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ disparet, si animadvertatur aliquando in defectu sacerdotis Diaconos fuisse delegatos ad lapsorum confessionem excipiendam, et non quidem uti ministri sacramenti delegabantur, sed ut cognosceretur verus status decedentis et sincera conversio ad Deum.

Pœnæ, quas jus canonicum statuit contra crimina, quæ communia dicuntur et civilia demonstrant curam Ecclesiæ ipsius advigilandi circa moralitatem publicam, et per suas sanctiones efficiendi bonos cives; eosque a criminibus quam maxime deterrendi. Hinc pœnæ istæ nec inutiles sunt, nec Ecclesia in illis statuendis provinciam suam ullo modo egressa esse dici potest.

#### TITULUS XIX.

### D e u s u r i s .

1. Usura *lato sensu* sumpta criminis conceptum excludit, significat enim id quod ob usum rei alicujus exigitur: ex. gr. usura dici potest pensio quæ in locatione et conductione statuitur a conductore solvenda. *Stricto autem sensu* sumpta usura definitur 'pretium vel res pretio æstimabilis, quæ in mutuo exigitur'. Aliis verbis est: 'Lucrum immediate ex mutuo derivans.' Verificatur autem quando creditor a debitore recipiat aliquid præter sortem debitam.

2. Quæritur: an, et quo jure usuræ prohibeantur. Distinguendum est utrum usuræ percipiantur solummodo eo quod res fungibilis alteri in usum data, restituenda est in eodem genere, quantitate et qualitate, idest vi mutui; vel utrum percipiantur ex *titulo extrinseco* qui contractui mutui accedat. Si primum verificetur prohibitæ sunt usuræ; si secundum usurarum perceptio licita et rationabilis est; quia usuræ percipiuntur non vi mutui, sed vi tituli extrinseci qui pretio æstimabilis est.

Quibus positis quæritur, quo jure prohibitæ sunt usuræ quæ vi mutui exiguntur?

3. Jure Romanorum mutuum consideratum est ceu contractus stricti juris, quo nullo jure cogente, res quæ usu consumitur, et præsertim pecunia alteri traditur cum obligatione restituendi rem in eodem genere, qualitate et quantitate. Hinc ratio mutui posita est in beneficio mutuantis erga mutuatarium. Scilicet mutuans, nullo jure cogente rem suam tradit mutuatario, qui eam facit suam, et ea tamquam sua utitur, illamque consumat; tenetur solummodo sortem reddere creditori suo, idest mutuantis.

Quod si vero mutuans sibi stipulatus fuisset usuras, idest si stipulatio et pactum adjectum fuisset contractui mutui de solvendis usuris, dummodo immodicæ non essent, creditor jure Romano poterat usuras exigere vi pacti adjecti. Quare licet mutuum retineat per se indolem beneficii, seu contractus gratuiti, tamen inductum est medium juridicum, quo creditor aliquid exigere poterat et assequi ultra restitutionem sortis. At pactum non immutabat naturam contractus. Hinc semper vi mutui lucrum ultra sortem percipiebatur.

4. Quid dicendum de jure naturali?

Conformis non est Doctorum sententia. Aliqui dicunt moderatas usuras in mutuo non prohiberi ex stricto et rigoroso jure naturali. Nam licet mutuans nec damnum positivum experiatur, nec lucrum amittat ex traditione rei suæ alteri facta, tamen verum est ipsum semper facere beneficium mutuatario, quod posset non facere. Nullo enim jure cogi supponitur mutuans.

Jamvero præstatio beneficii est pretio æstimabilis. Ergo aliquid exigi poterit.

5. Alii auctores tenent juri naturali usuras adversari, quia mutuum est contractus natura sua gratuitus, ita ut quis posset suam rem utique non dare, quia dominus est, at si dederit, ob ipsam solam concessionem rei nihil possit exigere ultra restitutionem sortis. Et sane: creditor lucrum non potest percipere sive pro ipsa sorte, sive pro usu illius. Non pro sorte quia in contractibus sequimur justitiam commutativam, quæ jubet servandam esse æqualitatem inter id quod datur et id quod accipitur, ex. gr. in contractu emptionis et venditionis pretium representat et adæquat valorem rei venditæ. Ergo si pro sorte dantur centum, centum etiam restituenda sunt titulo sortis. Non pro usu exigi potest lucrum. Nam res fungibilis tradita, transit in dominium mutuatarium, qui ceu dominus rei ejus periculum in se suscipit et

re accepta utitur tamquam sua et solummodo adstringitur obligatione restituendi genus, quantitatem et qualitatem rei acceptæ. Nemo autem ignorat usum rei pertinere ad dominium ejus. Hinc explicatur quomodo in locatione et conductione locator pro usu exigat pensionem, quia scilicet ipse manet dominus locatæ rei, et ejus periculum apud se retinet.

6. Quid vero dicendum de jure positivo divino?

Plures afferuntur textus veteris Testamenti. Ex. gr. Deut. 23. 19. 'Non fœneraberis fratri tuo'. Inter condiciones habitationis obtinendæ in tabernaculo Domini in Psal. 14. ea est ut quis 'pecuniam suam non dederit ad usuram'. Ex novo Testamento affertur illud Lucae VI. 35. 'benefacite et mutuum date nihil inde sperantes'. Hisce autem textibus non una objicitur oppositio et animadversio; non una datur eorumdem interpretatio. Et sane in textu Deut. post objecta verba sequitur '*sed alieno*' idest hebræis interdicta erat usura cum fratribus at non cum extraneis. Ergo absolute non fuit prohibitum exigere et percipere usuras. In aliis autem textibus, juxta aliquos interpretes, vel prohibetur abusus usurarum, vel non deprehenditur verum præceptum prohibens usurarum perceptionem, sed potius consilium et perfectio. Quod præsertim insinuatur in textu Lucae VI. ubi Christus Dominus videtur alludere non ad justitiam sed ad caritatem, ait enim 'benefacite', idest conjungit exclusionem usurarum cum animo benefaciendi.

Verum ecclesiastica traditio accepit et explicavit textus scripturales de vera usurarum prohibitione. Alexander III. Panormitano Episcopo dicere in cap. 4. h. t. non dubitavit usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestari.

7. Quidquid vero sit de jure positivo-divino, certum autem est, jure ecclesiastico expresse sub gravissimis pœnis, de quibus inferius, prohiberi usuras. *Can. 2. Dist. 37. et tot. h. t.* in Decretalibus Gregorii IX., in VI. Decretalium, necnon in Clementinis. Immo in Clem. un. h. t. traditur uti hæreticum esse puniendum, qui pertinaciter asserat peccatum non esse exercere usuras.

At quemadmodum superius innuebamus, illæ prohibentur usuræ, quæ vi mutui, vel pacti adjecti percipiuntur. En autem notio exemplaris et explicativa usurarum prohibitarum.

Aliquis habet rem fungibilem ex. gr. pecuniam apud se custoditam, ita ut ea nullo modo indigeat, nec ea utatur ad aliquod

negotium exercendum unde utilitatem honeste percipiat, requisitus eandem pecuniam dat mutuam alteri, a quo possit, quando placeat, repetere, et sine ulla difficultate, periculo, incommodo assequi. Quisquis videt merito in hypothesisi usuram damnari. Nam mutuanti pecunia nullam afferebat utilitatem, pecunia enim per se est infructifera, nec ullum titulum mutuans habet ad exigendos fructus pecuniæ mutuatæ a mutuatario.

8. At fructus pecuniæ seu usuræ exigere et percipi in contractu mutui possunt, si aliquis titulus a mutuo extrinsecus verificetur. Titulus autem hic triplex esse potest. Idest, *lucrum cessans, damnum emergens, et periculum sortis*. Invocari enim merito potest principium juris 'Iniquum est, damnosum cuique esse officium suum'. *L. Sed si quis ff. 'Quemadmod. Test. aperiantur.'*

9. Titulus *lucri cessantis* locum habet quando quis rem fungibilem et præsertim pecuniam posset impendere in aliis contractibus honestis, et in illis referre honestum lucrum, simulque hoc lucrum non assequitur eo quod pecuniam dat alteri mutuam. Ex. gr. occasio esset exercendæ honestæ negotiationis probabiliter fructuosæ etc. Pecunia mutuo data impedit hujusmodi probabilem utilitatem. Aequum non est ut mutuatarius qui sentit commodum ex mutuo accepto, nullam compensationem faciat mutuanti, pro amisso lucro.

10. Titulus *damni emergentis* locum habet, cum dominus patitur damnum ex concessione in mutuum, quia poterat eum impendere in ædibus suis reficiendis, in solvendo ære alieno, et alia hujusmodi. Posita veritate *lucri cessantis* vel *damni emergentis*, compensatio exigere potest quæ respondeat æstimationi boni viri.

11. Tertius titulus est *periculum sortis amittendæ*. Hunc titulum præsertim agnoverunt Romani, qui maximas usuras pro pecunia trajectitia constituerunt, et titulum specialem in legibus posuerunt '*De nautico fœnore*'. Ut autem verificetur hic titulus non sufficit ratio *periculi generalis*, quod nempe semper esse potest ut creditor amittat res suas, quas alteri mutuas dedit; bene vero requiritur periculum peculiare, quod scilicet resultat ex conditione speciali mutuatarii. Verificatur simile quando mutuans ob conditionem specialem in qua versatur persona cui rem suam tradit, prudenter dubitat, utrum rem ipsam vel in toto, vel saltem pro parte amittat. Aequum autem non est ut quis gratis prorsus

rem suam quam tuto possidet probabili periculo exponat. Hinc facta æqua æstimatione periculi, mutuator potest aliquid ultra sortem exigere.

12. At videtur obstare caput ult. h. t. ubi Gregorius IX. tradit ad normam principii generalis 'naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus'.

Variæ afferuntur explicationes. Mihi videtur ita posse explicari mens Gregorii. Eo quod quis suscipiat in se periculum sortis, non potest aliquid exigere ultra sortem, quia si revera juxta conditionem ordinariam et communem agendi rationem rerum, periculum amittendæ sortis absit, frustra invocatur periculum tamquam titulus specialis ad exigendum aliquid ultra sortem datam. Hoc in casu loquebatur Pontifex. At si revera in facto constet de existentia periculi, profecto qui rem suam periculo exponit, aliquid intuitu periculi ejusdem poterit exigere, cum præsertim doceat hodierna experientia, quando periculum hoc verificatur, non raro jacturam fieri saltem partialem pecuniæ mutuo datæ. Siquidem præsertim ob defectum bonæ fidei, quæ in negotiis ab hominibus ferme exulasse dicenda est, et ob conditionem actualis commercii, quod opinione potius quam realitate virium regitur, sæpe sæpius debitores se bonis abdicant, et non solvendo fiunt.

Hinc non raro creditores versantur in periculo amittendi vel in toto vel saltem in parte notabili res suas. Quare Gregorius IX. eos uti usurarios reprobat qui ad exercendam palliatam usuram, nec aliter mutuam dare volebant pecuniam, quam sub prætextu suscipiendi periculum sortis, et intuitu periculi ejusdem aliqua exigent a mutuataro ultra sortem datam, non autem condemnat eos, qui ob probabile periculum sortis amittendæ, aliquid exigant ultra sortem ipsam.

13. Præter istos titulos auctores addunt titulum *pœnæ conventionalis*, quæ solvi debeat ex notabili mora restitutionis sortis. Profecto si pœna sit moderata, et proportionata culpabili moræ, necnon excludat animum usurarium, idest si imposita sit ad frangendam contumaciam debitoris, ejusque excitandam diligentiam, constituere potest titulum percipiendi aliquid ultra sortem.

### De titulo legis civilis.

14. In pluribus locis partim legibus, partim consuetudine inductum erat ut ex pecunia mutua certum lucrum reciperetur. De Germania testatur *Reiffenstuel h. t. § 3.* Verum initio sæculi præsentis, præsertim in imperio Gallico lege diei 3. Septemb. 1807 constitutum est lucrum pro mutuo percipiendo excedere non debere quinque pro centum in re civili, et sex pro centum in re commerciali, ita ut mutuator posset hanc quantitatem lucri apud tribunal persequi; teneretur vero restituere excessum si convinceretur plus recepisse. In variis cultis nationibus hæc dispositio recepta est, ita ut novus titulus exigendi lucrum ex mutuo inductus diceretur, qui cum præfiniret taxam lucri in mutuo, dictus est titulus *taxæ civilis*, vel etiam legis civilis. Unde post hanc dispositionem, quis non amplius vi mutui recipere lucrum seu pretium pecuniæ dici posset, sed hoc lucrum exigere vi tituli legis civilis, quia nempe lex assistit.

15. Quæritur utrum taxa civilis sit titulus legitimus ad exigendum lucrum ex mutuo ita ut tuta conscientia quis possit retinere receptum lucrum quin teneatur illud restituere.

Qui sententiam negativam tenent ac tuentur animadvertunt taxam lucri a Gubernio statutam reduci ad lucrum mutui vi mutui, nam nullus ex expositis extrinsecis titulis eidem adstipulatur, aut saltem potest non adstipulari. Ex. gr. Titius habebat summam pecuniæ infructiferam apud se, eandem dat mutuam absque ullo damno et periculo, tamen lex eidem concedit jus exposcendi quinque vel sex pro centum. Ergo tota ratio lucri est civilis legis dispositio. Civilis autem potestas nequit ipsa constituere titulum lucri, nam quamvis altum habeat dominium, non potest tamen proprietatem privatorum auferre absque compensatione. Insuper civilis legislator non potest licitum reddere quod illicitum est ex jure naturali et divino-positivo. Hinc invocare titulum legis idem est ac eludere juris naturalis et divino-positivi dispositionem.

16. Verum sententia affirmans non minoribus rationum momentis fulcitur, nam certum est posse civilem potestatem ob bonum publicum disponere de bonis privatorum. Exemplum præclarum habemus in præscriptione. Licet enim jure naturali res clamet ad dominum, tamen ratio publici boni, ne dominia scilicet incerta remaneant, exigit ut auctoritas disponat de juribus privatorum, et

rem alienam præscriptam transferat in possessorem. Hanc translationem domini ipsa etiam Ecclesia agnovit in jure canonico, ita ut possessor etiam in conscientia tutus esse possit de proprietate acquisita rei quæ aliena fuerat. Igitur ratio boni publici potuit Guberniis civilibus suadere, ut cognoscerent tamquam legitime acquisitum lucrum ex mutua pecunia acceptum.

17. Ratio hæc præcipue duplex fuit: 1<sup>a</sup>. Necessitas promovendi commercia, quibus promovendis maxime juvat multiplicatio contractuum mutui. 2<sup>a</sup>. Immutata conditio societatis et publici ærarii. Siquidem inductum systema adassociationum pro majoribus operibus perficiendis, et ob necessitatem publici ærarii, quod indiget sæpe sæpius auxiliis extraordinariis et temporaneis civium, pecunia quoties placeat impendi potest in utilibus et honestis negotiis. Immo si vera loqui velimus, pecunia hodiernis temporibus naturam mercis fructiferæ induisse quodammodo videtur. Nemo enim in societate tenet amplius pecuniam apud se custoditam et mortuam. In promptu enim sunt parataque media et occasiones, pecunias in licitis negotiis investiendi. Insuper pecunia numeraria venditur ita ut modo majus, modo minus pretium habeat. Quare titulus saltem lucri cessantis derivat ex ipsa indole societatis, et est veluti titulus permanens. Quare legitime potuit recognosci taxa civilis in mutuo. Hæc insuper recognitio non solum bonum publicum favet, sed etiam ipsorum privatorum civium bona juvat, nam ab usurariis ultra civilem taxam gravari non possunt. Hinc cessat ratio adversæ sententiæ ex læsione juris privatorum civium.

18. Sed quod maximum est Sancta Sedes pluries interrogata utrum esset deneganda absolutio illis, qui percepissent lucrum ex mutuo juxta legem civilem, et quidem sine ullo titulo, respondit 'non esse inquietandos, dummodo parati sint obtemperare mandatis ejus, si aliquando prolata erit aliqua hac in re definitio'. In hoc sensu respondit Sacra Pœnitentiaria die 17. Sept. 1830, et Sacra Congregatio Supremæ Inquisitionis interrogata 'an pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem, peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis' die 17. Januarii 1838 respondit 'affirmative dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis'.

19. Hæc quidem responsio primo intuitu videtur solvisse quæstionem solummodo practice. Sed intimius inspecta videtur ipsam theoriam determinasse. Nam responsio hæc data est non solum pro negotiis gestis, sed etiam pro gerendis. Idest hæc responsio constituit normam ordinariam nostrorum temporum qua fideles tuti sunt in conscientia se non teneri ex justitia ad restituendum lucrum perceptum ex mutuo ob titulum legis. Porro hæc tuta conscientia in vim decisionis Sanctæ Sedis, vel procedit ex eo quod læsio justitiæ, inspectis circumstantiis ævi nostri, nullatenus verificetur, vel procedit saltem ex eo quod validissima argumenta reflexum dictamen de non læsa justitia gignere possint. Hinc Doctores probatissimi dicunt, circumstantiis præsentibus perdurantibus, numquam Sanctam Sedem prolatoram fore responsiones contrarias responsionibus jam datis.

20. At quæstio in aliam provinciam transferenda est. Siquidem taxa civilis in mutuo inducta est ex principio, quia auctoritati publicæ spectat temperare pacta privatorum, ne ordo justitiæ turbetur, et ne inferiores classes civium, gravaminibus arbitrariis civium locupletiorum vexentur. At ob conditionem commercii et pecuniæ, quæ mercis naturam induisse quodammodo videtur, visum est non amplius posse retineri principium et regulam de limitanda taxa civili in mutuo. Etenim pro majori vel minori copia pecuniæ in commercio, aliquando pretium minus aliquando majus esse debet. Hæc enim diversa qualitas pecuniæ secumfert majorem vel minorem difficultatem eandem obtinendi, necnon diversam rationem lucri cessantis, vel damni emergentis. Hinc hujusmodi major vel minor difficultas pecuniæ est pretio æstimabilis, nec ab Gubernio negligenda. Quare vel variabilis quotidie esse deberet lex civilis, vel potius posita mutabili conditione commercii et pecuniæ, magis opportunum videri poterat, relinquere prudentiæ et vigilantiam civium, ut per conventionem determinarent, juxta temporis circumstantias pretium mutui in singulis negotiis quæ gererent. Hoc alterum medium electum est, et sublata taxa civili communiter receptum est, ut cives mutuum contrahentes convenirent de lucro solvendo ultra sortem, idest de usura solvenda. Hisce positis,

21. Quæritur quid sentiendum sit de hac mutatione.

Varietas opinionum natura sua hac in re erumpit. Una opinio docet exulasse prorsus titulum civilem lucri in mutuo. Nam idcirco sustinebatur hic titulus, quia rationabiliter lex civilis, ob temporum

opportunitatem taxam præfinierat in lucro, et viam præcluserat vexationibus usurariorum. Hinc sublata taxa, res in pristinum statum redivit, quo privati etiam in fraudem legis pactis usurariis abutebantur. Siquidem vi legis hodiernæ poterit fieri stipulatio de solvendis etiam maximis usuris.

22. Attamen cum alia opinione potest animadverti: 1º. Legem civilem de percipiendis usuris adhuc permanere, mutationem vero circa modum earum percipiendarum ob rationes non censurabiles introductam fuisse. 2º. Easdem perseverare causas et circumstantias, ob quas taxa legalis fuerat statuta, et adhuc, immo potiora esse publica loca et associationes, quæ pecunia indigent, lucrumque ex indole suæ institutionis concedunt. Scilicet actiones suas seu obligationes cum participatione fructuum qui ex negotio proveniunt alienant, quæ in publico commercio exhibentur modo pro majori, modo pro minori pretio acquirendæ. Ergo adhuc titulus civilis perseverat.

Accedit consuetudo piarum et honestarum personarum, quæ paciscuntur in mutuo moderatas usuras. Consuetudo autem supponit persuasionem licitæ exactionis usurarum, et affert eandem plane rationem quam Sancta Sedes respexit in fidelibus non inquietandis.

Quibus positis Sacra Pœnitentiaria sæpius interrogata respondit 'fideles non esse inquietandos si moderatas usuras paciscantur et percipiant in ea quantitate in qua solent pacisci et percipere religiosæ et honestæ personæ, et dummodo parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis'. Hæc est actualis regula, quæ in praxi servatur in locis in quibus legislatio civilis non determinat quantitatem seu taxam lucri ex mutuo percipiendi.

#### De pœnis contra usurarios statutis.

23. Duo sunt in genere animadvertenda. 1. Pœnas positas esse contra illos, qui absque titulo usuras percipiant, vel eos qui cum titulo exigant usuras immodicas. 2º. Pœnas statutas percellere usurarios manifestos et notorios, illos nempe quorum crimen nulla tergiversatione celari potest, necnon illos, qui per sententiam iudicis de usuris exactis convicti sunt.

24. Pœnæ autem sunt: 1º. Infamia qua fiunt inhabiles ad officia et beneficia ecclesiastica. *Can. 2. §. 'Porro' caus. 3. q. 7. cap. 11. 'De excessibus Prælatorum'*. 2º. Si usurarius est Clericus

deponitur vel saltem suspenditur. Si laicus est excommunicandus. *Cap. 7. h. t.* 3º. Excluduntur ab oblationibus quæ fieri soleant in Ecclesia, ne Ecclesia videatur frui pauperum substantiis, et rebus injustitia acquisitis, neve usurarii fiant impotentes ad restituendum quod ex injustitia acceperunt. Quodsi clerici usurariorum oblationes recipiant pœna suspensionis plectuntur. *Cap. 3. h. t.* Hæc porro pœna non incurritur a clericis si ab usurariis recipiant decimas, quas solvere debent, vel etiam parvas eleemosynas. *Eod. cap. 3. h. t.* repelluntur 4º. usurarii a communione altaris. 5º. Si in pertinacia peccati decedant privantur jure sepulturæ ecclesiasticæ, ita ut qui eos sepeliant ipso facto excommunicatione latæ sententiæ incurrant. *Cap. 3. h. t. cap. 4. eod. in VIº. et Clem. 1. 'De sepulturis'*. Verum hæc pœna post Const. Pii IX. '*Apostolicæ Sedis*' cessasse dicenda est. De ea enim tacet hæc Constitutio. 6º. Usurariorum testamentum vel aliam quamcumque ultimam voluntatem irritam esse, nisi restituerint usuras male perceptas, vel saltem nisi cautionem sufficientem dederint de complenda ab hæredibus satisfactione. *Cap. 2. h. t. in VIº.*

#### TITULUS XX.

#### De crimine falsi.

1. *Crimen falsi* definitur 'immutatio veritatis *dolo malo*, seu animo decipiendi facta in fraudem injustam alterius'. Quare B. Raymundus in titulo præsentis prosequitur materiam læsionis proximi. Si desit aliquod ex elementis indicatis in definitione puniri iudice nequit falsitas.

Communiter tradunt Doctores crimen falsi committi, *dicto, scripto, facto et usu*.

2. Dicto crimen falsi committunt testes, qui in iudicio depositionem faciunt non consonam veritati, sive mendacium proferant, sive veritatem debitam occultent. *Cap. 1. h. t.* Ex jure canonico testis falsarius est infamis. *Can. 9. c. 3. q. 5.* Si vero clericus fuerit falsarius jus nostrum constituit pœnam depositionis et reclusionis in Monasterio ad *vitam* eique conceditur solummodo laicalis communio. *Can. 7. Distinct. 50.* Dicto insuper est falsarius et uti falsarius punitur iudex qui pecunia corruptus injustam protulerit sententiam. Quodsi iudex falsarius sit ecclesiasticus, punitur pœna

suspensionis a *divinis*, illatumque damnum reparare tenetur. *Cap. 1. De sent. et re jud. in VI.*

3. Scripto falsarius est notarius vel alius quicumque falsum testamentum vel aliud publicum aut privatum documentum scripserit, signaverit, aut immutaverit in parte aliqua substantiali, vel etiam suppresserit in alterius præjudicium. Pœna ordinaria contra istos præfinita non est in jure nostro. Hinc pœna extraordinaria falsarius scripto puniendus est. Jure romano statuta erat pœna deportationis, publicationis bonorum cum infamia.

4. Falsum in specie committi potest contra litteras apostolicas, et quidem pluribus modis juxta *cap. 5. h. t. et cap. 'Quam grave' eod. in VI.* qui quidem reducuntur ad sequentes. Ut scilicet vel prorsus falsæ confingantur Bullæ, vel genuinæ corrumpantur in parte substantiali, vel sigillum adimatur vel addatur, vel abrupto filo nova folia inserantur. Corruptarum et falsarum Litterarum Apostolicarum indicia summat *Glossa in cap. 5. h. t. ad verbum 'Falsitatis': 'forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum. Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum'*. Pœna hujus criminis sunt excommunicatio latæ sententiæ Pontifici Romano reservata. *Cap. 7. h. t. et 'Bulla Cœnæ' § 6.* In Constitutione '*Apostolicæ Sedis*' articulus hac de re reperitur inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatas; sub n. 9. legitur excommunicatio contra 'omnes falsarios Litterarum Apostolicarum etiam in forma *Brevis*, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel per S. R. E. Vice-Cancellarios seu gerentes vices illorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pont. signatarum, necnon falso publicantes Litteras Apostolicas etiam in forma *Brevis*; et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Rom. Pontificis seu Vice-Cancellarii, aut gerentes vices prædictorum'. 2º. Clericus falsarius Litterarum Apostolicarum privatur ipso facto omnibus officiis et beneficiis ecclesiasticis, et si ipse per se falsificaverit Litteras Apostolicas degradatur et traditur Curie sæculari puniendus. *Cap. 7. h. t.*

5. *Facto* falsarii sunt qui nummos seu monetas publicas vel cudant auctoritate sua, vel fingant prorsus, vel justæ monetæ pondus imminuant. Antiquitus Alchimidæ hujus falsitatis rei erant. Hinc contra ipsos in Extravag. un. h. t. statuitur ut tantumdem

de bono auro vel argento pauperibus erogare teneantur. Quod si impares sint pœna extraordinaria arbitrio judicis sunt puniendi, simulque declarantur infames. Clerici autem in hac materia falsarii privantur beneficiis jam obtentis et inhabiles declarantur ad alia obtinenda.

Falsariis hujus tertie classis adnumerandi sunt venditores, qui utuntur falsis ponderibus et mensuris, necnon qui dolose terminos agrorum immutant.

6. *Usu* seu melius *abusu* falsarii sunt, qui falsitate ab aliis posita et fabricata utantur. Ii præter restitutionem puniuntur vel pœna ordinaria falsi vel extraordinaria juxta criminis gravitatem. Qui vero utantur falsis Litteris Apostolicis si Clerici sunt privandi sunt officiis et beneficiis ecclesiasticis, si laici excommunicationi latæ sententiæ subjiciuntur, quoadusque congrue satisfecerint. Insuper in *cap. 4. h. t. iis*, qui cognoscant se habere falsas Litteras Apostolicas, præcipitur sub pœna excommunicationis, ut infra viginti dies vel Litteras illas destruant, vel resignent. Verum de hac pœna tacet Const. '*Apostolicæ Sedis*'. Circa usum vero falsarum Litterarum, inter excommunicationes latæ sententiæ Ordinario reservatas sub n. 3º. legitur excommunicatio contra 'Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes'.

#### TITULUS XXI.

#### De sortilegiis.

1. Usus sortis antiquus est inter homines. Sortilegium est 'tentamen quo mediis sortibus conatur aliquis vel determinare quod incertum est, vel detegere quod est occultum'. Sortes dividuntur in *divisorias, consultorias et divinatorias*.

2. *Divisorie* sortes locum habent quando in rerum partitione determinari vult per sortes quid cuique vel uni, alterive competit. Nil mali sortilegium hujusmodi secumfert. Hinc in hæreditate vel in communi dividendo etc., optime potest adhiberi, nisi tamen circumstantia aliqua superstitiosa accedat. Usus autem sortis adhiberi non potest in distribuendis officiis et præsertim in electione ad beneficia ecclesiastica. *Cap. 3. h. t. fin.* Digniores enim sunt præponendi.